



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio  
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,  
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam  
Confessionem amplectuntur**

**Lipsiæ, 1606**

De Missa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35443**

## DE MISSA.

**I**NITIO hoc iterum præfandum est, nos non ab-  
 ire Missam, sed religiosè retinere ac defendere. Fieri  
 enim apud nos Missæ singulis Dominicis, & alijs  
 festis, in quibus porrigitur sacramentum his, qui vivunt,  
 postquam sunt explorati atq; absoluti. Et servatur  
 usitata ceremoniæ publicæ, ordo lectionum, orationum,  
 vestitus, & alia similia. Aduersarij longam de  
 clamationem habent, de usu Latinæ linguæ in Missa,  
 qua suauiter ineptiunt, quomodo profit auditori  
 docto in fide Ecclesiæ, Missam non intellectam audire  
 videlicet, fingunt ipsum opus audiendi cultum esse  
 prodesse, sine intellectu. Hæc nolumus odiosè exagita-  
 re, sed iudicio lectorum relinquimus. Nosq; idco com-  
 memoramus, vt obiter admoneamus, & apud nos re-  
 neri Latinas lectiones atq; orationes. Cùm autem ce-  
 remoniæ debeant obseruari, tum vt discant homines  
 Scripturam, tum vt verbo admoniti concipiant fidem  
 & timorem, atq; ita orent etiam, nam hi sunt fines cer-  
 moniarum: Latinam linguam retinemus propter ho-  
 qui latinè discunt atq; intelligunt, Et admiscemus Ger-  
 manicas cantiones, vt habeat & populus, quod discat  
 & quo excitet fidem, & timorem. Hic mos semper  
 Ecclesijs fuit. Nam etsi aliæ frequentius, aliæ rarius ad-  
 miscuerunt Germanicas cantiones, tamen ferè vbi  
 aliquid canebat populus sua lingua. Illud verò nusquam  
 scriptum aut pictum est, hominibus prodesse opus au-  
 diendi lectiones non intellectas, prodesse ceremoniam  
 non quia doceant, vel admoneant, sed ex opere operato,  
 quia sic fiant, quia spectentur. Mæne valeant illi  
 Pharisæicæ opiniones.

Quòd verò tantum fit apud nos publica Missa, si  
 communis, nihil fit contra catholicam Ecclesiam. Nam  
 in Græcis parochijs ne hodie quidem sunt privata  
 Missæ, sed fit vna publica Missa, idq; tantum Dominicis  
 diebus

diebus, & Festis. In Monasterijs fit quotidie Missa, sed tantum publica. Hæc sunt vestigia morum veterum. Nusquam enim veteres Scriptores ante Gregorium, mentionem faciunt priuatarum Missarum. Qualia fuerint initia, nunc omitimus. Hoc constat, quod postquam Monachi mendicantes regnare cœperunt, ex falsissimis persuasionibus, & propter quæstum ita auctæ sunt, vt omnes boni viri diu iam eius rei modum desiderauerint. Quanquam S. Franciscus rectè voluit ei rei prospicere, qui constituit, vt singula collegia quotidie vnica communi Missa contenta essent. Hoc postea mutatum est siue per superstitionem, siue quæstus causa. Ita, vbi commodum est, instituta maiorum mutat ipsi, postea nobis allegant auctoritatem maiorum. Epiphanius scribit, in Asia Synaxin ter celebratam esse singulis septimanis, nec quotidianas fuisse Missas. Et quidè ait, hunc morè ab Apostolis traditum esse. Sic enim inquit: *συνάξεις ἢ ἐπιτελέμεναι ταχθεῖσαι εἰσὶν ἀπὸ τῶν ἀποστόλων, τελεῖται, καὶ προσευχάται καὶ κνειακῆ.*

Et si autem aduersarij in hoc loco multa congerunt, vt præbent missam esse sacrificium, tamen ille ingens tumultus verborum prolata hac vnica responsione cōflescet, quod hæc quamuis longa coaceruatio auctoritatum, rationum, testimoniorum, non ostendat, quod Missa ex opere operato conferat gratiam, aut applicata pro alijs mereatur eis remissionem venialium, & mortalium peccatorum, culpæ & poenæ. Hæc vna responsio euertit omnia, quæ aduersarij obijciunt non solum in hac confutatione, sed in omnibus scriptis, quæ de Missa ediderunt. Et hic causæ status est, de quo ita nobis admonendi sunt lectores, vt Aeschines admonebat Iudices, vt perinde ac pugiles de statu inter se certant, ita cum aduersario dimicarent ipsi de statu controuersæ, nec sinerent eum extra causam egredi. Ad eundem modum

hic aduersarij nostri cogendi sunt, vt de re propo-  
dicant. Et cognito controuersie statu, facillima  
dijudicatio de argumentis in vtraq; parte. Nos eni  
in confessione nostra ostendimus, nos sentire, quod ce-  
na Domini non conferat gratiam ex opere operato  
nec applicata pro alijs viuis aut mortuis, mereatur  
ex opere operato remissionem peccatorum, culpa  
pœna. Et huius status clara & firma probatio est ha-  
quia impossibile est consequi remissionem peccatorum  
propter opus nostrum ex opere operato, sed fide opo-  
tet vinci terrores peccati & mortis, cum erigimus co-  
da cognitione Christi, & sentimus nobis ignosci pro-  
pter Christum, ac donari merita & iustitiam Christi  
Roman. 5. Iustificati ex fide pacem habemus. Hec tan-  
certa, tam firma sunt, vt aduersus omnes portas infero-  
rum consistere queant. Si quantum opus est, dicer-  
dum fuit, iam causa dicta est, Nemo enim sanus illam  
Pharisaicam & Ethnicam persuasionem de opere ope-  
rato probare potest. Et tamen hæc persuasio hæc  
in populo, hæc auxit in infinitum Missarum numerum  
Conducuntur enim Missæ, ad iram Dei placandam  
& hoc opere remissionem culpæ & pœnæ consequi  
volunt, volunt impetrare quicquid in omni vita opo-  
est. Volunt etiam mortuos liberare. Hanc Pharisaicam  
opinionem docuerunt in Ecclesia Monachi & Sacer-  
phistæ.

Quamquam autem causa iam dicta est, tamen quia  
aduersarij multas scripturas inepte detorquent ad de-  
fensionem suorum errorum, pauca ad hunc locum ad-  
demus. Multa de sacrificio in confutatione dixerunt  
cum nos in confessione nostra consulto id nomen, pro-  
pter ambiguitatem vitauerimus. Rem exposuimus  
quid sacrificium isti nunc intelligant, quorum impo-  
bamus abusus. Nunc vt male detortas scripturas expo-  
nemus, necesse est initio, quid sit sacrificium, exponere

Toro iam decennio infinita penè volumina ediderunt aduersarij de sacrificio, neq; quisquam eorum definitionem sacrificij hæcenus posuit. Tantùm arripiunt nomen sacrificij, vel ex scripturis, vel ex Patribus. Postea affingunt sua somnia, quasi verò sacrificium significet, quidquid ipsis liber.

## QVID SIT SACRIFICIUM ET QUÆ SINT SACRIFI- CII SPECIES.

**S**OCRATES in Phædro Platonis ait, se maximè stupidum esse diuisionum, quòd sine his nihil neq; explicari dicendo, neq; intelligi possit, ac si quem deprehenderit peritum diuidendi, hunc inquit se affectari, eiusq; tanquam Dei vestigia sequi. Et iubet diuidentem in ipsis articulis membra secare, ne quòd membrum mali eoqui more quassatum frangat. Sed hæc præcepta aduersarij magnificè contemnunt, ac verè sunt iuxta Platonem *καὶ τοὶ μάλιστα*, sacrificij membra corrumpentes, quemadmodum intelligi poterit; cùm species sacrificij recensuerimus:

Theologi rectè solent distinguere sacramentum & sacrificium. Sit igitur genus horum, vel ceremonia, vel opus sacrum. Sacramentum est ceremonia, vel opus, in quo Deus nobis exhibet hoc, quòd offert annexa ceremoniæ promissio, vt Baptismus, est opus, nò quòd nos Deo offerimus, sed in quo Deus nos baptizat, videlicet, minister vice Dei, & hinc offert & exhibet Deus remissionè peccatorum, &c. iuxta promissionem: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. E contra, Sacrificium est ceremonia, vel opus, quòd nos Deo reddimus, vt eum honore afficiamus. Sunt autem sacrificij species proximæ duæ, nec sunt plures. Quoddam est sacrificium propiciatorium, id est, opus satisfacto-